I

accipere se omen respondit impleturumque fata ara condita ac dicata.
Ibi tum primum bove eximia capta de grege sacrum herculi ad-
hibitis ad ministerium dapemque potitiis ac pinariis, que tum
familie maxime incliti ea loca incolebant factum. Forte
ita evenit ut potitii ad tempus presto essent hiisque exta appone-
rent. Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem. Inde in- Potitii pinarii
stitutum mansit donec pinarium genus fuit ne extis sollemni-
bus vescerentur. Potitii ab evandro edocti antistites sacri
eius per multas etates fuerunt donec tradito servis publicis solem-
ni familie ministerio genus potitiorum omne interiit. Potitiorum omnium interitus
Hec tum sacra romulus una ex omnibus peregrina suscepit. Iam tum
immortalitatis virtute parta ad quam eum sua fata ducebant.
Fautor rebus divinis rite perpetratis vocataque ad concilium multi-
tudine que coalescere in populi unius corpus nulla re preterquam
legibus poterat iura dedit. que ita sancta generi hominum agresti
fore ratus si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset,
cum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim
sumptis fecit. Alii ab numero avium que augurio regnum portende-
rant eum secutum numerum putant. Me haud penitet eorum sententie
esse quibus et apparitores et hoc genus ab etruscis finitimis unde
sella curulis, unde toga pretexta sumpta est. Numerum quoque ipsum
sumptum ductum placet, et ita habuisse etruscos quod ex duodecim
populis communiter creato rege singulos singuli populi lictores de-
derint. Crescebat interim urbs munitionibus alia atque alia
appetendo loca, cum in spem magis future multitudinis quam
ad id quod tum hominum erat munirent. Deinde ne vana urbis
magnitudo esset, adiciende multitudinis causa vetere consilio
condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad
se multitudinem natam e terra sibi prolem ementiebantur, locum
aqs qui nunc septus descendentibus inter duos lucos, in asylum ἀπὸ τῆς α καὶ συλῶ
aperit. Eo ex infinitis populis turba omnis sine discrimine
liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit. Idque primum ad
acceptam magnitudinem roboris fuit.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_873/0019
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG